Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Incipit liber quartus Regum.

Prevaricatus est autem Moab in Israel postquam mortuus est achab. Ceciditque ochozias per cancellos cenaculi sui quod habebat in samaria et egrotavit. misitque nuntios dicens ad eos. Ite consulite beelzebub deum accaron. utrum vivere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem domini locutus est ad helyam thesbiten dicens. Surge et descende in occursum nuntiorum regis samarie et dices ad eos. Numquid non est deus in israel ut eatis ad consulendum beelzebub deum accaron. Quam ob rem hec dicit dominus. De lectulo super quem ascendisti non descendes sed morte morieris. Et abiit helyas. reversique sunt nuntii ad ochoziam. Qui dixit eis. Quare reversi estis. At illi responderunt ei. Vir occurrit nobis et dixit ad nos. Ite et revertimini ad regem qui misit vos et dicetis ei. Hec dicit dominus. Numquid quia non erat deus in israel mittis ut consulatur beelzebub deus accaron. Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes. sed morte morieris. Qui dixit. Cuius figure et habitus est vir ille qui occurrit nobis et locutus est verba hec. At illi dixerunt. Vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait. Helyas thesbites est. Misitque ad eum quinquagenarium principem et L. viros qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum. sedentique in vertice montis ait. Homo dei rex precepit tibi ut descendas. Respondensque helyas dixit quinquagenario. Si homo dei sum descendat ignis de celo et devoret te et L. tuos. Descendit itaque de celo ignis et devoravit eum et L. qui erant cum eo. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum et L. cum eo. Qui locutus est ei. Homo dei hec dicit rex. Festina descende. Respondens helyas ait. Si homo dei ego sum descendat ignis de celo et devoret te et L. tuos. Descendit ergo ignis dei de celo et devoravit illum et L. eius. Iterum misit principem quinquagenarium tercium et L. qui erant cum eo. Qui cum venisset curvavit genua contra helyam et precatus est eum et ait. Homo dei noli despicere animam meam et animam servorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de celo et devoravit duos principes quinquagenarios primos et quinquagenos qui cum eis erant. Sed nunc obsecro ut misereris anime mee. Locutus est autem angelus domini ad helyam dicens. Descende cum eo ne timeas. Surrexit ergo et descendit cum eo ad regem. et locutus est ei. Hec dicit dominus. Quia misisti nuntios ad consulendum beelzebub deum accaron. quasi non esset deus in israel a quo posses interrogare sermonem. ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes sed morte morieris. Mortuus est ergo iuxta sermonem domini quem locutus est helyas. Et regnavit Ioram frater eius pro eo anno secundo Ioram filii Iosaphat regis iude. Non enim